Jahresbericht

über das

Königliche Gymnasium zu Düsseldorf

für das Schuljahr 1889—90,

mit welchem

zu den öffentlichen Prüfungen und der Schlussfeier

ergebenst einladet

der Direktor Dr. August Uppenkamp.



Inhalt: 1. Abhandlung des Prof. Dr. Wachendorf: Observationes criticae in nonnullos locos Plutarchi,
2. Schulnachrichten vom Direktor.

1890. Progr.-Nr. 430.



Düsseldorf,
Druck der Stahl'schen Buchdruckerei.

Observationes criticae in nonnullos locos Plutarchi.

Scripsit

Hugo Wachendorf.

Quomodo adulescens poetas audire debeat cap. VIII. *Οἷον ὁ Ἀχιλλεὺς .... ἀναστὰς οὐ δημαγωγεῖ πρὸς τὸν ὄχλον, ἀλλὰ τῷ βασιλεῖ γίγνεται σύμβουλος κτλ.*

Δημαγωγεῖν verbo deteriore illa notione auram popularem captandi plebisque sollicitandae Plutarchus sescentis locis et in vitis et in scriptis moralibus utitur nec tamen usquam addito *πρὸς*, sed aut adiuncto accusativo (sine praepositione) aut absolute. Cuius rei qui multa exempla attulit, Wyttenbachius, idem traditae lectionis patrocinium suscipere ita conatus est, ut quod *δημηγορεῖν πρὸς τὸν ὄχλον* et *δημαγωγεῖν τὸν ὄχλον* recte dicatur, duas illas locutiones in hanc unam confusas esse putet, *πρὸς* autem eodem usu dictum videri, quo dicatur *πρός τινα πολιτεύεσθαι* (ad alicuius voluntatem rem publicam administrare) *πρός τινα εἶναι* (ab alicuius partibus esse), *πρός τινα ζῆν* (ad alicuius imperium vivere). Sed neque illud verisimile est neque apte nobis comparari videntur *πρός τινα πολιτεύεσθαι*, sim. Nam cum verba: *πολιτεύεσθαι, εἶναι, ζῆν* intransitivam vim habeant, longe alia esse apparet. Nec tamen cum Hercheroo praepositio *πρὸς* eicienda est, quae unde in libros inrepserit, difficile dictu est. Sublatum erit mendum non deleto *πρός*, sed additis iis, quae scribae incuria sustulit. Legendum enim *οὐ δημαγωγεῖ πρὸς τὸν βασιλέα τὸν ὄχλον*. Den Pöbel gegen den König aufhetzen *πρὸς* est = adversus, contra. cf. apophthegm. Laconica cap. 40: *οἱ δῆμοι πρὸς τοὺς Σπαρτιάτας ἐξεπολεμώθησαν·* de mulier. virtt. 16: *τῶν εἰς Μίλητον ἀφικομένων Ἰώνων στασιάσαντες ἔνιοι πρὸς τοὺς Νείλεω παῖδας·* ibid. 19. *οἱ φίλοι διαβολάς τινας ἀεὶ καὶ ὑπονοίας κατεσκεύαζον αὐτῷ πρὸς τὸν ἀδελφόν.*

Ea quam proposuimus lectione recepta apparet, quam apte opponantur: *ἀλλὰ τῷ βασιλεῖ γίγνεται σύμβουλος.*

Ortum est mendum librarii oculo a priore *τὸν* ad alterum *τὸν* aberrante Subiciam aliquot locos simili meo quidem iudicio labe infectos. Dici enim vix potest, quam saepe quantas turbas fecerit una alterave littera vel casu vel scribarum culpa intercepta.

In vita Agesilai cap. XXXII 8 legitur sic: *ἀναχωρῆσαι δὲ τοὺς Θηβαίους ἐκ τῆς Λακωνικῆς οἱ μὲν ἄλλοι λέγουσι χειμώνων γενομένων καὶ τῶν Ἀρκάδων ἀρξαμένων ἀπιέναι καὶ διαῤῥεῖν*

ἀτάκτως, οἱ δὲ τρεῖς μῆνας ἐμμεμενηκότας ὅλους καὶ τὰ πλεῖστα τῆς χώρας διαπεπορθηκότας· Θεόπομπος δέ φησιν ἤδη τῶν Βοιωταρχῶν ἐγνωκότων ἀπαίρειν, ἀφικέσθαι πρὸς αὐτοὺς Φρίξον κτλ. Vitium subesse docuit, nulla ut esse possit dubitatio, Madvigius[1]) his verbis: „Nihil vitio sententiae et orationis manifestius; nam neque *τοῖς ἄλλοις* respondere potest infinitum *οἱ δὲ,* sed certum et definitum aliquid, a quo illi separentur, neque ullo modo tanquam in divisione contraria poni possunt *χειμώνων ..... ἀτάκτως* et *τρεῖς μῆνας .... διαπεπορθηκότας* quorum illa causam discessionis, haec tempus commorationis et effectum significant, sed cohaerent et unam faciunt summam. Itaque his omnibus continuatis: *ἀναχωρῆσαι δὲ τοὺς Θηβαίους οἱ μὲν ἄλλοι ..... διαρρεῖν ἀτάκτως, τρεῖς μῆνας ὅλους ... διαπεπορθηκότας,* contrarium infertur: *Θεόπομπος δέ φησιν κτλ.*" Itaque *οἱ δὲ* delendum putat, ut inlatum a scriba, cum non attendisset inter se referri infinitum et finitum (*οἱ μὲν ἄλλοι ...... Θεόπομπος δέ*). Sed quamvis stolidi fuerint scribae, ut fuerunt, cavendum tamen, ne eos meros lapides fingamus, qui ne ea quidem viderint, quae manu tenere possent. Immo in *οι δε* reliquias habemus eius quod Plutarchus scripsit: *οἴκαδε.* quo qui facile nos post *ἀπιέναι καὶ διαρρεῖν* carere posse putant, ii non satis cognitum habent Plutarchi usum loquendi cf. Quaestion. graecae cap. XI. *ἐμβάντες εἰς τὰς ναῦς οἱ Ἐρετριεῖς ἀπέπλευσαν οἴκαδε.* ibid. cap. XVII: *ὁ λαβὼν αἰχμάλωτον ἀπῆγεν οἴκαδε καὶ μεταδοὺς ἁλῶν καὶ τραπέζης ἀπέπεμπεν οἴκαδε* (bis in una sententia). amatoriae narrationes cap. III: *καὶ τῷ θεῷ χρησάμενοι περὶ ὧν ἐδέοντο, πάλιν ἐπανῆσαν οἴκαδε.*

Vita Luculli cap. I, 4: *Γενόμενος δὲ πρεσβύτερος ἤδη παντάπασιν ὥσπερ ἐκ πολλῶν ἀγώνων ἀφῆκε τὴν διάνοιαν ἐν φιλοσοφίᾳ σχολάζειν καὶ ἀναπαύεσθαι τὸ θεωρητικὸν αὐτῆς ἐγείρας κτλ.* Audiamus Madvigium sic de hoc loco disputantem[2]): „Particula *ὥσπερ* comparationem significat, quae nulla sequitur: ignavum *πολλῶν,* in quo latere arbitror *πολιτικῶν.* In *ἐκ* aut participium aut adiectivum subest (*ἐκνέων, ἔκπλεως*)."

Sed *ἐκ* recte se habet et vertendum „infolge von, nach" ut sescentis locis neque *πολλῶν* iustam praebet offensionem. Nam principes et duces (quo in numero Lucullum fuisse constat) philosophiae operam dare incipiunt, capti taedio multorum certaminum, quae publica, *πολιτικά,* esse cum per se appareat, quid attinet dicere? Restat dubitatio de sinceritate particulae *ὥσπερ,* in qua et Madvigius recte haesit et neminem non haesurum arbitror. Quae recte se habebit addito *εἰκὸς* quod et sententia postulare videtur et ante *ἐκ* facile potuit excidere. cf. consolatio ad Apoll. cap. XXXIV: *Εἰ δ' ὁ τῶν παλαιῶν ποιητῶν τε καὶ φιλοσόφων λόγος ἐστὶν ἀληθής, ὥσπερ εἰκός, ἔχειν οὕτω.* de sera numinis vindicta cap. VIII: *Λεγόντων δὲ, οἷον εἰκὸς, τῶν παρόντων: Ἄνθρωπε, τί παθὼν ἔργον οὕτως ἀλλόκοτον ἔπραξας; κτλ.*

Vita Arati cap. X: *Ἦν δ' Ἄρατος .... πολέμῳ καὶ ἀγῶνι χρήσασθαι φανερῶς ἀθαρσὴς καὶ δύσελπις, κλέψαι δὲ πράγματα καὶ συσκευάσασθαι κρύφα πόλεις καὶ τυράννους ἐπηβολώτατος.* Aratus et initio eiusdem capitis fuisse dicitur *πικρῶς μισοτύραννος'* et (cap. XXXV) Lydiades, *αὐτοῦ κατηγόρει ὡς δυσμενῶς καὶ ἀδιαλλάκτως ἀεὶ πρὸς τοὺς τυράννους ἔχοντος.* Eundem Plutarchus tradit (cap. X) *μεγαλόφρονα* fuisse et *ὁμονοίας ἐθνῶν καὶ κοινωνίας πόλεων καὶ συνεδρίου καὶ θεάτρου μίαν φωνὴν ἀφιέντος ὡς οὐδενὸς ἄλλου τῶν καλῶν ἐραστήν.* Eiusmodi hominis nihil minus, opinor, esse potest quam *συσκευάζεσθαι πόλεις καὶ τυράννους,* sed *συσκευάζεσθαι πόλεις ἐπὶ τυράννους.* Quod quid sibi velit, docebunt hi loci Demosthenis: *περὶ τῶν ἐν*

1) adversaria critica pag. 87.
2) in libro laudato pag. 590.

Χερρον. § 5: (*Φίλιππος*) *συσκευάζεται πάντας ἀνθρώπους ἐφ' ὑμᾶς.* ibid. § 6: *πάντα δὲ τὸν χρόνον συνεχῶς τὰ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων καὶ βαρβάρων λαμβάνων καὶ ἐφ' ἡμᾶς συσκευαζόμενος.* Conferri etiam possunt hi loci Plutarchi vita Caesaris cap. XXI: *καὶ γὰρ αὐτὸς εὖ θέμενος τὰ κατὰ τὴν Γαλατίαν πάλιν ἐν τοῖς περὶ Πάδον χωρίοις διεχείμαζε συσκευαζόμενος τὴν πόλιν.* vita Phocionis c. XXXII: *Συσκευαζόμενος γὰρ εἰς ἑαυτὸν ὁ Πολυσπέρχων τὴν πόλιν· κτλ.* De mulierum virt. (Micca et Megisto): *ἐν μὲν τῇ πόλει συνέστησε πρᾶξιν ἐπὶ τὸν τύραννον Ἑλλάνικος* simil.

Ἐπὶ post *πόλεις* intercidit, quo facto insertum est *καί.*

De capienda ex inimicis utilitate cap. III: ... *Τὰ νοσοῦντα τοῦ βίου καὶ φαῦλα καὶ πεπονθότα κινεῖ τὸν ἐχθρὸν καὶ πρὸς ταῦτ' οἱ μισοῦντες ᾄττουσι καὶ τούτων ἅπτονται καὶ σπαράττουσι. Τοῦτ' οὖν ὠφελιμόν ἐστι; πάνυ μὲν οὖν, εὐλαβούμενον ζῆν καὶ προσέχειν ἑαυτῷ καὶ μήτε πράττειν μηδὲν ὀλιγώρως καὶ ἀπερισκέπτως μήτε λέγειν κτλ.* In his primum satis inepte quaeritur: *τοῦτ' οὖν ὠφέλιμόν ἐστι;* de re, quam perutilem esse, ut Horatii mea faciam, omnibus lippis et tonsoribus notum et recte docet Abreschius[1]), in eiusmodi interrogationibus scriptores, cum exspectent, responsum affirmativum sibi datum iri, uti vocula interrogandi *ἆρα* cum vocabulo *οὐκ* coniuncta. Deinde, id quod multo gravius est, si tradita lectio vera est, Plutarchus ita locutus est, ut, in quo cardo rei vertatur, prorsus oblitus sit. Quid enim dicit? Primum utile esse, inimicos vitia nostra arripere et perstringere (*τὰ νοσοῦντα τοῦ βίου καὶ φαῦλα ... κινεῖ τὸν ἐχθρὸν καὶ οἱ μισοῦντες ... τούτων ἅπτονται καὶ σπαράττουσι*) deinde utile esse (nam ad *πάνυ μὲν οὖν* supplendum est *ὠφέλιμόν ἐστι*) caute vivere neque vel dicere quidquam vel agere temere aut inconsiderate. Quae ut magnam ex inimicis utilitatem capi nobis persuaderetur — de nulla autem alia re agitur — ita apte cohaererent, si scriptor, id quod nequaquam omittere debebat, addidisset omnia illa scil. *τὸ εὐλαβούμενον ζῆν καὶ προσέχειν ἑαυτῷ καὶ μήτε πράττειν μηδὲν ὀλιγώρως καὶ ἀπερισκέπτως μήτε λέγειν* nulla alia re melius effici quam eo, quod inimicorum vocibus carperemur. Deesse apparet participium, quo causa contineatur, cur quod utile esse antea dictum erat (scil. *τὰ νοσοῦντα τοῦ βίου καὶ φαῦλα ..... σπαράττουσι*) id vere utile esse intellegatur. Id autem in particulis *μὲν οὖν* latere puto legendumque: *Τοῦτ' οὖν ὠφέλιμόν ἐστι πάνυ, ἐμποιοῦν εὐλαβούμενον ζῆν καὶ προσέχειν ἑαυτῷ κτλ.*

Nocuit formula frequentissime usurpata *πάνυ μὲν οὖν,* cuius in mentem venit scribae litteris *ποι* ante *ου* deletis. *ἐμποιεῖν* est einem etwas beibringen cf. Xen. Anab. II, 6, 8. *Ἱκανὸς δὲ καὶ ἐμποιῆσαι τοῖς παροῦσιν, ὡς πειστέον εἴη Κλεάρχῳ.* Oec. XXI, 7: *ἐρρωμένοι ἄρχοντες γίγνονται, οἳ ἂν δύνωνται ἐμποιῆσαι τοῖς στρατιώταις ἀκολουθητέον εἶναι καὶ διὰ πυρὸς καὶ διὰ παντὸς κινδύνου.* Plut. Lyk. XXX *ἐμποιεῖ ὁ καλῶς ἄγων τὸ καλῶς ἕπεσθαι.*

Πάνυ etiam ab optimis scriptoribus postponitur ad sententiae vim augendam. cf. Xen. Anab. IV, 6, 14: *ἐντεῦθεν ἄνθρωποι μὲν ὀλίγοι πάνυ ἐλήφθησαν, βόες δὲ καὶ ὄνοι πολλοὶ καὶ πρόβατα.*

Demosth. *κατὰ Κόνωνος* cap. I init. *ὥστε πολὺν χρόνον πάνυ μήτε τοὺς οἰκείους μήτε τῶν ἰατρῶν μηδένα προσδοκᾶν περιφευξεῖσθαι με.* (cf. Schömann. ad Isaeum pag. 300).

Ne quos fastidiosarum aurium homines hiatus offendat, iam Sintenisius docuit[2]) non offendere hiatum, ubi intercedente interpunctione pausa fiat. „Hiatus ante comma nullus est“ (Bernardakis).

---

1) Observationes criticae ad Plutarchi moralium capita selecta pag. 25.
2) in editione vitarum IV pag. 328.

De exilio cap. VII: *Ὁ δ' Ἀλκμαίων ἰλὺν νεοπαγῆ τοῦ Ἀχελώου προσχωννύντος ἐπῴκησεν ὑποφεύγων τὰς Εὐμενίδας, ὡς οἱ ποιηταὶ λέγουσιν· ἐγὼ δὲ κἀκεῖνον εἰκάζω φεύγοντα πολιτικὰς ἀρχὰς καὶ στάσεις καὶ συκοφαντίας ἐριννώδεις ἑλέσθαι βραχὺ χωρίον ἀπραγμόνως ἐν ἡσυχίᾳ κατοικεῖν.*

στάσεις καὶ συκοφαντίαι ἐριννώδεις docent hoc loco de discordiis seditionibusque civilibus agi iisque, quae eas consequi solent, malis, non de honoribus et magistratibus i. e. *ἀρχαῖς*. De quibus si ageretur, Plutarchus *πολιτικὰς* certe non addidisset, ut sescentis aliis locis non addidit, ubi de honoribus et magistratibus agit. cf. ad principem ineruditum cap. VI: *τοὺς δ' ἀπαιδεύτους καὶ ἀμαθεῖς ἡ τύχη μικρὸν ἐκκουφίσασα πλούτοις τισὶν ἢ δόξαις ἢ ἀρχαῖς κτλ.* an seni sit gerenda res publ.: cap. I. *ὀψὲ ἦλθες ἀρχὴν καὶ δημαγωγίαν διζήμενος.* ibid. c. VI: *οὐδέν ἐστιν ὃ τοσαύτην φέρει χάριν, ὅσην πράξεων ἰδίων ἐν ἀρχαῖς καὶ πολιτείαις ... ἀναθεώρησις.* ibid. c. XVIII: .... *μήτε αὖ πάλιν πᾶσαν ἀρχὴν ἐπαιρόμενοι* .... ibid. cap. XX: *οὐδὲ γὰρ ἐν ἀρχαῖς τὸν τηλικοῦτον ὥρα φέρεσθαι.* praecepta gerendae rei publ. c. XIII: *εἰσὶ δὲ καὶ χάριτες ἀνεπίφθονοι, συλλαβέσθαι πρὸς ἀρχὴν τῷ φίλῳ* ... ibid. c. XVII: *ἃς δ' ὀνομάζουσιν ἐξουσίας καὶ χειροτονοῦσιν ἀρχάς* .... ibid. c. XIX: *ἐκ τούτου δὲ καὶ βουλὴ καὶ δῆμος καὶ δικαστήρια καὶ ἀρχὴ πᾶσα τὴν ἐξουσίαν ἀπόλλυσι.* ibid. c. XXI: *αὔξοντα καὶ προστιθέντα τὴν ἀπ' αὐτοῦ δόξαν καὶ δύναμιν τῇ ἀρχῇ* ibid. c. XXII .. *ἀπαλλαγέντι τῆς ἀρχῆς* ibid. c. XXXI: *Ἕρμωνι ... φεύγοντι τὴν ἀρχὴν ὑπὸ πενίας* ..... Poteram alia exempla proferre, ni vererer, ne in re haud dubia longus essem. Nam duabus litteris additis scribendum: *φεύγοντα πολιτικὰς* **ταραχὰς** *καὶ στάσεις κτλ.* cf. praecepta gerendae rei publicae cap. II *οὗτοι καὶ μάλιστα διαβάλλουσι τὸ πρᾶγμα* (scil. rei publicae administrationem) *τῷ μετανοεῖν καὶ ἀσχάλλειν, ὅταν ἢ δόξαν ἐλπίσαντες, ἀδοξίᾳ περιπέσωσιν, ἢ φοβεροὶ προσδοκήσαντες ἑτέροις ἔσεσθαι διὰ δύναμιν εἰς πράγματα κινδύνους ἔχοντα καὶ ταραχὰς ἄγωνται* vita Camilli cap. IX: *τὰ ταρακτικὰ πάθη τῆς πολιτείας ἔξω τρέποντες.*

Ad *ταραχάς*, quippe quae non solum in re publica administranda sed etiam in communi vita versentur, recte additur *πολιτικάς*; nam de principis periculis et molestiis hoc loco agitur.

ibid. c. XIV. *Πάντες οὗτοι καὶ πλείονες ἄλλοι τῶν πατρίδων ἐκπεσόντες ..... πανταχοῦ καὶ τεθνηκότες μνημονεύονται· τῶν δ' ἐκβαλόντων καὶ στασιασάντων οὐδὲ εἷς λόγος οὐδενὸς ἀπολέλειπται.*

στασιάζειν verbum aut intransitivam vim habet, quo sensu dicitur *στασιάζειν τινί — πρός τινα*, aut cum accusativo coniunctum est alicuius animum ad defectionem (et similia) sollicitare. Neutrum hoc loco aptum. Ceterum solet Plutarchus synonyma inter se coniungere. Itaque ut restituatur quod respondeat illi *τῶν δ' ἐκβαλόντων*, legendum conicio *καὶ καταστασιάντων.* cf. vita Them. c. V: *αὐξόμενος δὲ καὶ τοῖς πολλοῖς ἀρέσκων τέλος κατεστασίασε καὶ μετέστησεν ἐξοστρακισθέντα τὸν Ἀριστείδην.* ibid. c. XI: *ἐξωστράκιστο γὰρ πρὸ τοῦ πολέμου καταστασιασθεὶς ὑπὸ Θεμιστοκλέους.* vita Pericles c. IX: *διὸ καὶ μᾶλλον ἰσχύσας ὁ Περικλῆς ἐν τῷ δήμῳ κατεστασίασε τὴν βουλήν, ὥστε .... ἀφαιρεθῆναι τὰς πλείστας κρίσεις δι' Ἐφιάλτου.*

Κατα intercidit post *καὶ*.

Amatorius cap. XVI: *Ὅμως δ' ἐπεὶ δυνάμει καὶ ὠφελείᾳ μάλιστα θεοῦ* .... *καθότι καὶ τῶν ἀνθρωπίνων ἀγαθῶν δύο ταῦτα, βασιλείαν καὶ ἀρετήν, θειότατα καὶ νομίζομεν καὶ ὀνομάζομεν, ὥρα σκοπεῖν πρότερον, εἴ τινι θεῶν ὁ Ἔρως ὑφίεται δυνάμεως.*

Quae ad lacunam, quae est post *θεου*, explendam a viris doctis apte per se excogitata sunt[1]): ea vereor ne non satis ostendant corruptelae originem. Et lacuna unde orta sit, optime

1) Reiskius: *ὅμως δέ, ἐπεὶ δυνάμει καὶ ὠφελείᾳ θεοὺς κρίνομεν* (vel *νομίζομεν*), *καθότι.* Wyttenbachius:

expediemus, et sententiae satis fiet, si Plutarchum scripsisse mecum putabis: *Ὅμως δ' ἐπεὶ δυνάμει καὶ ὠφελείᾳ μάλιστα θεοὺς καθορῶμεν διεστῶτας* (vel *διαφέροντας*), *καθότι κτλ.* Interciderunt *ρῶμεν διεστῶτας*, cum librarii oculus a *καθο* in *καθορῶμεν* ad *καθο* in *καθότι* aberrasset. Composito *καθορᾶν* Plutarchus saepissime utitur velut in hoc ipso libello cap. IX: *ἀποκείρουσι τὰς ἵππους, εἶτα πρὸς ποταμὸν ἢ λίμνην ἄγουσι· καθορῶσαν γὰρ ἑκάστην κτλ.*

De sententia conferri potest locus qui est de tranquillitate animi cap. XII: *καίτοι καὶ τῶν θεῶν ἄλλος ἄλλην ἔχων δύναμιν ὁ μὲν ἐνυάλιος, ὁ δὲ μαντῷος, ὁ δὲ κερδῷος ἐπονομάζεται.*

Ibid. cap. XVI: *Σκοπῶμεν οὖν εὐθύς, ὅτι τῆς Ἀφροδίτης τὸ ἔργον ἔρωτος ὤνιόν ἐστι δραχμῆς καὶ οὔτε πόνον οὐδεὶς οὔτε κίνδυνον ἀφροδισίων ἕνεκα μὴ ἐρῶν ὑπέμεινεν.*

Manifestum est et ex addito participio *μὴ ἐρῶν* et ex iis, quae in eodem capite paulo infra leguntur[1]), hoc loco non de omni *Ἀφροδίτης ἔργῳ* agi, sed de *ἔργῳ* amoris experte. Itaque, ne quod gravissimum erat, reticeretur, plerique Reiskium secuti *ἄνευ* ante *ἔρωτος* inseruerunt; alii ex Bas. codicis auctoritate *ἔρωτος*, quod est in ceteris libris fide dignis, eiecerunt. Sed nec facile intellegitur, quemadmodum *ἄνευ* interciderit, nec qua ratione *ἔρωτος* in textum venerit, quo omisso simul id ipsum deest, de quo hoc loco ex iis, quae supra diximus, agi apparet. Itaque mihi vix dubium videtur, quin Plutarchus scripserit *ἔρωτος κενὸν*, quod facillime ante *ὤνιον* excidere potuit. cf. Plato Tim. 75a. *Ὅσα κενά ἐστι φρονήσεως.* Plut. de garrulitate cap. I: *Διὸ τοῖς μὲν ἄλλοις ἐμμένουσιν οἱ λόγοι, τῶν δ' ἀδολέσχων διαρρέουσι ... κενοὶ φρενῶν, ἦχον δὲ μεστοὶ περιίασιν.*

Ibid. cap. XVII: *Ἡρακλέους δὲ τοὺς μὲν ἄλλους ἔρωτας ἔργον ἐστὶν εἰπεῖν διὰ πλῆθος· Ἰόλαον δὲ νομίζοντες ἐρώμενον αὐτοῦ γεγονέναι, μέχρι νῦν σέβονται καὶ τιμῶσιν, Ἔρωτος* (vel *ἔρωτος*) *ὅρκους τε καὶ πίστεις ἐπὶ τοῦ τάφου παρὰ τῶν ἐρωμένων λαμβάνοντες.*

Noli putare, Plutarcho ipsi deberi sive *Ἔρωτος* sive *ἔρωτος*; nam cum doceat, Iolao ut Herculis amasio divinos honores haberi (*σέβονται καὶ τιμῶσιν*) eius rei illud argumentum recte addit, quod qui capti erant amore, eos, quos amabant, per eum, ut deum iurare, eius fidem, ut dei, implorare iubere soleant. Qui, si tradita lectio vera esset, non Iolaum, sed *Ἔρωτα* — quid hoc ad Iolaum? — implorassent. Quid enim aliud significare possunt *ὅρκοι Ἔρωτος*? Nec magis placet *ἔρωτος ὅρκους τε καὶ πίστεις*; nam quid per se magis apparere potest, quam *ὅρκους τε καὶ πίστεις*, quibus amantes eos, quos amant, obstringunt, pertinere ad amorem? Accedit quod, sive *ἔρωτος* praeferes, sive *Ἔρωτος*, desiderabis aliquid, quod respondeat illi *παρὰ τῶν ἐρωμένων*. Quanto melius Plutarchus ipse, cuius haec sunt de eadem re in vita Pelopidae cap. XVIII: *Ἀριστοτέλης δὲ καὶ καθ' αὑτὸν ἔτι φησὶν ἐπὶ τοῦ τάφου τοῦ Ἰόλεω τὰς καταπιστώσεις ποιεῖσθαι τοὺς ἐρωμένους καὶ τοὺς ἐραστάς.* Ex his ipsis verbis apparet, legendum esse: *Ἰόλαον δὲ μέχρι νῦν σέβονται καὶ τιμῶσιν οἱ ἐρῶντες, ὅρκους τε καὶ πίστεις ἐπὶ τοῦ τάφου παρὰ τῶν ἐρωμένων λαμβάνοντες.* Cum OI post EIN intercidisset, scriba amantes loco cedere iussit, quem occuparet deus *ἀνίκατος μάχαν*.

In eodem capite leguntur haec: *Δωρητικὸς δὲ καὶ ἁπλοῦς καὶ μεγαλόφρων γίγνεται πᾶς ἐραστής, κἂν γλίσχρος ᾖ πρότερον, τῆς μικρολογίας καὶ φιλαργυρίας δίκην σιδήρου διὰ πυρὸς ἀνιεμένης.* *ἁπλοῦς* coniecit Reiskius, probavit Winckelmannus[2]), alii, cum vulgo legeretur *δωρητικὸς*

ἐπεὶ .... θεοῦ τὴν ὑπεροχὴν ἀνατίθεμεν, καθότι. Bernardakis symbolae criticae et palaeographicae in Plutarchi vitas parall. et moralia Lipsiae 1879: *ἐπεὶ δυνάμει καὶ ὠφελείᾳ μάλιστα θεοὺς διαφέρειν ἡγούμεθα.*

1) *οὕτως ἀσθενὴς καὶ ἀψίκορός ἐστιν ἡ τῆς Ἀφροδίτης χάρις Ἔρωτος μὴ ἐπιπνεύσαντος.*

2) Plutarchi opera moralia selecta pag. 196.

δὲ ἁπλῶς. Sed *ἁπλοῦς* est homo simplex et tenui victu cultuque contentus et a fraude, dolo, insidiis alienus. Cf. Plut. in vita Philopoem. cap. XIII: *ἐν δὲ τῇ Κρήτῃ συνεπολέμει τοῖς Γορτυνίοις οὐχ ὡς Πελοποννήσιος ἀνὴρ καὶ Ἀρκὰς ἁπλοῦν τινα καὶ γενναῖον πόλεμον, ἀλλὰ τὸ Κρητικὸν ἦθος ἐνδὺς καὶ τοῖς ἐκείνων σοφίσμασι καὶ δόλοις κλωπείαις τε καὶ λοχισμοῖς χρώμενος.* Quod si ita est, *ἁπλοῦς* neque locum habet inter *δωρητικὸς καὶ μεγαλόφρων* neque opponi potest iis, quae sequuntur: *κἂν γλίσχρος ᾖ πρότερον* et *τῆς μικρολογίας καὶ φιλαργυρίας ἀνιεμένης.* Unum hoc loco aptum videtur aut *λαμπρὸς*[1]), ut et paulo infra de simili re legitur adverbium *λαμπρῶς* (*ξένους ἑστιῶντι φιλοτίμως καὶ λαμπρῶς*) et adiectivum multis locis, velut in vita Themist. cap. V (*καὶ γὰρ φιλοθύτην ὄντα καὶ λαμπρὸν ἐν ταῖς περὶ τοὺς ξένους δαπάναις·* de garrul. cap. XVIII *καὶ παρεσκευάσατο λαμπράν, ὡς εἰκός, ἑστίασιν*) et substantivum *λαμπρότης* in vita Themist. cap. V (*εἰς δ' Ὀλυμπίαν ἐλθὼν καὶ διαμιλλώμενος τῷ Κίμωνι περὶ δεῖπνα καὶ σκηνὰς καὶ τὴν ἄλλην λαμπρότητα καὶ παρασκευήν*), aut *ἁπαλὸς,* quod et optime opponitur adiectivo *γλίσχρος* et comparatione cum ferro infra instituta commendatur.

An seni sit gerenda resp. cap. IV: *καὶ γὰρ τῆς πολιτικῆς ἀρετῆς οὕτως ἀπόλλυται τὸ ἀξίωμα καὶ τὸ μέγεθος πρός τινας οἰκονομίας καὶ χρηματισμοὺς ἀγομένης.*

Τίνας neque loco, in quo est positum (debebat dici *οἰκονομίας τινάς*[2]) neque sententia commendatur. Queritur enim Plutarchus, quod principes omissa rei publicae cura ad rei familiaris procurationem et quaestum faciendum descendant. De quibus quid senserit discimus ex eiusdem capitis § 3: *ἐργασίας γε μὴν βαναύσου καὶ ἀγοραίας ἅπτεσθαι μετὰ πολιτείας ὅμοιόν ἐστι τῷ γυναικὸς ἐλευθέρας καὶ σώφρονος ἔνδυμα περισπάσαντα καὶ περίζωμα δόντα συνέχειν ἐπὶ καπηλείου.* et cap. I: *Πολλῶν δὲ κακῶν οὐδεμιᾶς ἧττον ἀπραξία καὶ δειλία καὶ μαλακία καταισχύνουσιν ἄνδρα πρεσβύτην, ἐκ πολιτικῶν ἀρχείων καταδυόμενον εἰς οἰκουρίαν γυναικῶν ἢ κατ' ἀγρὸν ἐφορῶντα καλαμητρίας καὶ θεριστάς.* Itaque sententia ipsa postulare videtur, ut pro *τινας* scribatur *ταπεινάς.* cf. de adulat. et amico cap. XXIII: *ἐν ταῖς αἰσχραῖς καὶ ταπειναῖς καὶ ἀδόξοις διακονίαις ἀπόχρησαι, πάτησον: οὐδὲν ἡγεῖται* (scil. *ἡ κολακεία*) *δεινὸν οὐδὲ ὑβριστικόν.*

Multos locos constat corruptos esse eo quod cum ad plenam sententiam nonnulla deessent ex praecedentibus scriptoris verbis supplenda, scribae quae subintellegenda essent, haesitantes sua — aliena pleraque et ăbsurda — orationi inseruerunt. Cuius rei inlustre exemplum exhibet conclamatus multisque multorum coniecturis temptatus locus de superstitione cap. IV, ubi sic legitur: *εἶτ' οὗτοι* (i. e. *οἱ δεισιδαίμονες*) *τὸ δουλεύειν ἀτύχημα ἡγοῦνται καὶ λέγουσι:*

„*δεινῆτις ἀνδρὶ καὶ γυναικὶ συμφορὰ δούλους γενέσθαι δεσπότας τε δυσχερεῖς λαβεῖν*“. *πόσῳ δὲ δεινότερον οἴεσθε πάσχειν αὐτοὺς ἀνεκφεύκτους ἀναποδράστους ἀνυποστάτους λαμβάνοντας; αὐτοὺς* in nonnullis optimis codd. deesse testatur Bernardakis[3]); idem recte monet, *δεινόν, δεινότερον πάσχειν* pro usitato *δεινά, δεινότερα πάσχειν,* vel *δεινόν τι πάσχειν* rarissimum esse. Wyttenbachius legendum censuit *πόσῳ δεῖ δεινότερον οἴεσθαι πάσχειν αὐτοὺς* (*λαβόντας δυστυχεῖς δεσπότας*). Sed *δεσπότας* hoc loco a Plutarcho ipsos deos intellegi, et ex iis, quae proxime praecedunt (*ἡ δὲ δεισιδαιμονία θεῶν ἀλλαγὴν οὐ δίδωσιν, οὐδ' ἔστιν εὑρεῖν, ὃν οὐ φοβήσεται θεὸν ὁ*

---

1) Corruptelae ansam praebuit *λ* nescio quo casu omissum.

2) Longe alia est natura eorum locorum, ubi magna est in pronomine vis, ut de adulat. et amico cap. XXIII: *ἀλλ' ἡ γεκολακεία τοὐναντίον ἐν μὲν ταῖς ἐπιπόνοις καὶ κινδυνώδεσιν ὑπουργίαις ἀπαγορεύει· κἂν διαπειρώμενος κρούσῃς, σαθρὸν ἔκ τινος προφάσεως ὑπηχεῖ.* Nullam causam, inquit Plutarchus non arripiunt adulatores, ut laboriosa et periculosa ministeria subterfugiant.

3) in l. l. pag. 60.

φοβούμενος τοὺς πατρῴους καὶ γενεθλίους κτλ.) manifestum est et ex iis, quae cap. VI (initio) sequuntur (*τί οὖν; οὐ δοκεῖσοι καὶ τὸ τῶν ἀθέων πρὸς τοὺς δεισιδαίμονας πάθος ἔχειν τοιαύτην διαφοράν; οἱ μὲν οὐχ ὁρῶσι τοὺς θεοὺς τὸ παράπαν, οἱ δὲ δοξάζουσι φοβερὸν τὸ εὐμενὲς καὶ τυραννικὸν τὸ πατρικὸν καὶ βλαβερὸν τὸ κηδεμονικὸν καὶ τὸ ἄμικτον ἄγριον καὶ θηριῶδες.* Quod qui tenebit et ad poetae verba, quae proxime praecedunt attendet, facile videbit, Plutarchum nihil scripsisse, nisi hoc: *πόσῳ δὲ δεινότερον οἴεσθε ἀνεκφεύκτους, ἀναποδράστους, ἀνυποστάτους;* Subaudienda sunt *δεσπότας λαβεῖν*, quae si Plutarchus addidisset, iure scriptor parum elegans haberetur. Nunc ita loquitur, ut nihil gravius, nihil nervosius dici potuerit. Magna est, inquit, calamitas, si poetam audire volumus, homines amissa libertate in importunorum dominorum servitutem incidere; at quanto maior — id quod hominibus superstitiosis accidere apparet ex iis, quos supra adscripsi, locis — in servitutem incidere deorum, quos neque evitare, neque effugere neque iis resistere possis. Scribae cum ad verba poetae non attendissent, sententiam mancam esse rati, inepte, ut solent, suppleverunt. Quod si ita est, facile carere possumus iis, quae ad locum corrigendum viri docti commenti sunt, quae neque corruptelae originem ostendunt, neque ad Plutarchi elegantem brevitatem aspirant.

Venio ad exempla vitiorum inde ortorum, quod librarii, quae primo incuria omiserant, postea cognito errore ad marginem adscripserunt, postremo loco non apto orationi inseruerunt, quo in genere quam saepe peccatum sit, neminem ignorare arbitror. Id accidisse suspicor in vita Agesilai, ubi haec leguntur cap. IV: *διὸ καὶ πατρικήν τινα πρὸς αὐτοὺς ἀπὸ τοῦ παλαιοῦ διετέλουν εὐθὺς οἱ βασιλεῖς φιλονεικίαν καὶ διαφορὰν παραλαμβάνοντες. ὁ δ' Ἀγησίλαος ἐπὶ τὴν ἐναντίαν ὁδὸν ἦλθε καὶ τὸ πολεμεῖν καὶ τὸ προσκρούειν αὐτοῖς ἐάσας ἐθεράπευε. Εὐθὺς* post *ἀπὸ τοῦ παλαιοῦ διετέλουν* locum non habere sensit Madvigius[1]; itaque legendum coniecit *αὖθις* (rursus). Sed verisimilius est, *εὐθὺς* ex insequenti versu huc male inlatum esse, ubi quam aptum sit apparet. *ὁ δ' Ἀγησίλαος εὐθὺς ἐπὶ τὴν ἐναντίαν ὁδὸν ἦλθε.* i. e. Agesilaus statim scil. ubi primum ad rem publicam accessit, contrariam viam ingressus est.

Alterum exemplum praebet locus in libello amator. cap. XVII: *Διὸ ταῦτα μὲν ἐῶμεν, μετὰ δὲ τὴν ἰσχὺν τοῦ Ἔρωτος οὖσαν τοσαύτην ἤδη τὴν πρὸς ἀνθρώπους εὐμένειαν καὶ χάριν ἐπισκοπῶ, οὐκ εἰ πολλὰ τοῖς χρωμένοις ἀγαθὰ περιποιεῖ, ... ἀλλ' εἰ πλείονα καὶ μείζονα τοὺς ἐρῶντας αὐτοῦ ὀνίνησι· ἐπεὶ καίπερ ὢν ἐρωτικὸς ὁ Εὐριπίδης τὸ σμικρότατον ἀπεθαύμασεν εἰπών:*

„ποιητὴν ἄρα
Ἔρως διδάσκει, κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν“

συνετόν τε γὰρ ποιεῖ κτλ.

αὐτοῦ post *τοὺς ἐρῶντας* mirum quantum languere senserunt Wyttenbachius et Meziriacus nec dubium est, quin Plutarchus paulo supra post *τοῖς χρωμένοις αὐτῷ* potius additurus fuerit nisi per se appareret, intellegi *Ἔρωτα.* At in iis, quae sequuntur, vehementer offendit *τὸ σμικρότατον ἀπεθαύμασεν,* sic nude positum; nam Euripidem non rem nescio quam minimam admiratum esse, dicendum erat, sed *Ἔρωτος* aliquam vim, non ita magnam cum ceteris quae ei debemus bonis comparatam. Quod ni ita esset in Wyttenbachii et Meziriaci coniectura *αὐτοὺς* acquiescerem, quamquam etiam ea facile caremus. Nunc *αὐτοῦ* in sua sede reposito legendum censeo: *τὸ σμικρότατον αὐτοῦ* (scil. *Ἔρωτος*) *ἀπεθαύμασεν.* cf. septem sapientium conviv. cap. II: *ἐπεὶ σοῦ γε καὶ τὰ ἄλλα θαυμάζει καὶ τῆς πυραμίδος τὴν μέτρησιν ὑπερφυῶς ἠγάπησεν.* de mulier. virtut. cap. VII *ἄξιον οὖν ἄγασθαι τῶν γυναικῶν καὶ τὴν σιωπὴν καὶ τὸ θράσος.*

1) in l. l. pag. 597.

Saepe librarii cum eos fugisset, quaenam ratio inter singulas sententiarum partes intercederet ea, quae non satis intellexerant, ad proxima quaeque accommodando peccaverunt, cuius rei exemplum deprehendisse mihi videor in libello de amore prolis cap. IV. Ibi docet Plutarchus homines liberis operam dare utilitatem, quam inde postea capturi sint, nequaquam respicientes, sed ipsa natura duce et amore impulsos: *οὔτε νόμος ἦν ἐκείνοις τεκνοτροφεῖν προστάττων, οὔτε προσδοκία χάριτος ἢ τροφείων ἐπὶ νέοις δανειζομένων. Χαλεπὰς δὲ μᾶλλον εἴποιμ' ἂν εἶναι καὶ μνησικάκους τὰς τεκούσας τοῖς βρέφεσι, κινδύνων τε μεγάλων καὶ πόνων αὐταῖς γιγνομένων.* Quaero: quorum periculorum, quorum laborum? Miseros infantes, qui infensas habeant matres propter omnia ea pericula et labores, quae in hominum vita versantur. Plutarchum hoc loco sola ea pericula intellegere, quae matribus partu intendantur, — quae cum pro nihilo putant magnum sane dant maternae caritatis documentum — et res ipsa, de qua agitur, docet et haec addita verba Homeri: *Ὡς δ' ὅταν ὠδίνουσαν ἔχῃ βέλος ὀξὺ γυναῖκα δριμύ, τό τε προϊᾶσι μογοστόκοι Εἰλείθυιαι Ἥρης θυγατέρες πικρὰς ὠδῖνας ἔχουσαι.* Itaque aut reticuit id ipsum, quod maxime dici oportebat aut scripsit: *Χαλεπὰς δὲ μᾶλλον εἴποιμ' ἂν εἶναι καὶ μνησικάκους τὰς τεκούσας τοῖς βρέφεσι, κινδύνων τε μεγάλων καὶ πόνων αἰτίοις γιγνομένοις.*

αἰτίοις in *αὐταῖς* corrupto *γιγνομένοις* perperam accommodatum est ad *κινδύνων καὶ πόνων*. *Αὐταῖς,* cum proxime praecedat *τεκούσαις* nemo desiderabit.